

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Pars tertia: De Philosophiæ Cartesianæ capite primo et secundo

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1384)

ex patribus Societatis IESU, quos tu nunquam sine adjuncto aliquo convitio soles nominare, me tibi blandiri decuisset. Præter hoc autem nihil unquam in te vel feci vel tentavi, ex quo mihi irasci potueris, atque ideò acerbitas styli, qua hîc in me uteris, nulli merito meo tribui potest. Sed fortè aliæ ejus sunt causæ, quas ex lectione sequentium agnoscemus.

*De Philosophiæ Cartesianæ capite primo & secundo.*

P A R S T E R T I A.

**I**Nitio primi capituli ais, meæ Philosophiæ omnes capaces non esse, sicque de me loqueris pag. 14. & 15. *ut candidus & à fallendi studio alienissimus videatur, revera autem omnia errata infelicibus discipulis hebetique eorum ingenio imputare possit; in ipso philosophiæ vestibulo omnia ingenia mysteriorum suorum capacia non esse, gravi vultu & oratione, quo vir quantivis pretii habeatur, pronuntiat.* Ubi à te peto, quandonam me ista gravi vultu pronuntiantem audiveris, ut enim jam monui, non concionor, nec doceo. Nempe id habes ex meis scriptis, citas enim Resp. quartas ad Med. pag. 289. edit. Elz. ubi dixi, *ea quæ in prima Meditatione ac reliquis (quinque scilicet Meditationibus) continentur, ad omnium captum non esse accommodata.* Verùm hæc citatio non pro te est, sed contrà te; cum enim id scripserim peculiariter de illis Meditationibus, quæ tantum perexiguam & omnium difficillimam Philosophiæ partem continent, inferre potius debuisses, non idem de tota esse putandum. Sed fateor tamen perlibenter, non omnes ejus esse capaces, hocque non ideò nulli scripsi, quod verum non sit, sed quia fuisset superfluum. Quæ enim scientia, quæ disciplina, quæ ars tam facilis, ut ejus omnes sint capaces? Quid autem inde inferas? Nempe me velle omnia Philosophiæ meæ errata infelicibus discipulis tribuere. Sed omnes sciunt me nihil unquam de Philosophia tradidisse, nisi in scriptis publicè editis. An ergo etiam scriptorum meorum errata discipulis tribuentur.

Pag. 17. progredieris ad *criteria, secundum quæ in novâ, ut ais, superbiæ scholâ ingenia censentur.* Dicisque, *ea esse potissimum*  
 E e 3 quinque,



quinque, hoc, & quatuor subsequentibus capitibus ordine pensanda. Deinde pag. 18. primum ais esse, *se possit*, tuturus scilicet discipulus, omnium, quæ ab aliis didicit, oblivisci. Quæ verba curasti aliis typis excudi, ut ex meis scriptis desumpta videantur, nempe ex pag. 16. & 17. Dissertationis de Methodo, & ex pag. 32. responsionis ad septimas objectiones, & etiam ibidem ex paginis 7, 21, 23. & 24. quia ista omnia loca paulo ante citaveras. Atqui cum in iis omnibus nullum verbum habeatur de oblivione, sed tantum de præjudiciis tollendis, ut neque ullo alio in loco ex meis scriptis, hinc lector facile agnoscat, quanta fides citationibus tuis sit adhibenda. Longe enim aliud est præjudicia, sive opiniones temerè antè receptas, deponere, hoc est desinere iis assensum præbere; quod à voluntate nostra tantum pendet, atque omnino requiritur ad prima Philosophiæ fundamenta jacienda; & aliud eorum oblivisci, quod ferè nunquam est in nostra potestate. Sed cum primæ Theses, quas unquam in tua Academia edideris, egerint de præjudiciis & multis aliis in locis ea rejicienda esse confessus sis, non decuisset me à te reprehendi, quod id scripsissem; & idèd aliud quid mihi affingere maluisti, quod uberiores criminandi materiam suppeditaret.

Quæ reliqua in hoc capite habes, non sunt relatu digna, neque aliud probant, quàm te, ut fide & probitate, ita etiam prudentiâ & Logicâ tuâ naturali non satis uti, cum homini, quem prius dixisti esse ingeniosum, ineptias affingas, quæ de eo credi non possint; Ut etiam quod pag. 22. referas verba Epistolæ Apostoli Iudæ v. 10 *de iis qui calumniantur ea quæ ignorant*. nemo enim videns, quo pacto in Philosophiam meam inveharis, non statim illa in te retorquet; quia cum illam nunquam videris, utpote quam nondum vulgavi, scire ipsam planè non potes.

In secundo capite pag. 27. proponis secundam legem, in quam ais meos discipulos, quos vocas deliriorum mystas, jurare, Hanc scilicet: Cum libris nullum unquam nobis futurum commercium. Sed in quibus tabulis scriptam illam inveneris, à quo audiveris, unde eduxeris, nusquam ostendis, nec potes. Neque haud dubie negligeres probationes tuas afferre, si quas haberes,

hîc



hic enim & in pagina sequenti duo loca refers ex meis scriptis, sed nihil ad rem facientia, & ipsorum etiam sensum pervertis. Primus est ex pag. 163 epist. ad P. Dinet, ubi dixi, *non potuisse nimis diu id expectari ab homine nondum sene, quod ab aliis in multis saculis non est præstitum.* Tu verò de me sic quæris, *an sibi persuadet, hominem nondum senem, ut de se ipso loquitur in Epistola ad Dinetum pag. 193, omnium rerum naturalium exactam & minimè fallacem experientiam habere posse?* tanquam si ex eo, quod dixerim hominem nondum senem, reliqua quoque mihi sint tribuenda. Quo artificio facilè etiam potuisses tuam legem ex meis scriptis educere, si, exempli causa, quia in eadem epistola *Authorum libros* nominavi, dixisses, *Cum Authorum libris*, ut ipse de iis loquitur in Epistola ad Dinetum pag. 200, *nullum unquam futurum nobis commercium.*

Non meliori fide vel magis appositè in pagina sequenti locum refers, in quo dixi, *me quandam excoluisse Methodum* ad quælibet difficultates in scientiis resolvendas: Cum ais: *haud magis potest quælibet difficultates in scientiis resolvere (ut omnium Thraasonum ineptissimus Renatus de se ipso gloriatur in Epist. Ded. Medit. pag. 5. Ed. Elz.)* Tanquam si idem esset Methodum excolere ad aliquid præstandum, & jactare se illud omnino præstare posse.

*De usu librorum & Voetii doctrina.*

#### PARS QUARTA.

**S**I autem scire voluisses, quid de libris revera sentirem, legere poteris paginam septimam dissertationis de Methodo, in qua expresse dixi, nos eundem ex bonorum librorum lectione fructum percipere, atque ex colloquio magnorum virorum, qui eos composuerunt; ac fortè etiam aliquanto majorem, propterea quod non quascunque obvias, ut in familiari colloquio, sed selectiores tantùm cogitationes suas scriptis solent exprimere. Vnde etiam fortè aliquid in usum tuum potuisses convertere, si ex adverso considerasses malorum librorum nimis frequentem